



ERECTIO

FACULTATUM, SAC. THEOLOGIAE,
JURIS CANONICI ET PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE
IN SEMINARIO SALMANTICENSI

ILLUSTRISSE AC REVERENDISSE DOMINE:

Pergratum mihi est hujus S. Congregationis documenta omnia Amplitudini tuae transmittere, quae Facultatum erectionem in isto Seminario Salmantino ex speciali S. Sedis privilegio concessam respiciunt, nempe:

1. Decretum erectionis trium Facultatum, Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae Scholasticae.
2. Statuta Facultatum ab h. S. C. revisa et approbata.
3. Decretum, quo statuta ipsa adprobantur.
4. Rescriptum, quo Praefecti Studiorum electio confirmatur.
5. Rescriptum, quo electio Doctorum Collegialium in Facultate Theologica confirmatur.

6. Rescriptum, quo electio Doctorum Collegialium in Facultate Juris Canonici confirmatur.
7. Rescriptum, quo electio Doctorum Collegialium in Facultate Philosophica confirmatur.

Debitas nunc laudes Amplitudini Tuae rependere fas sit, pro studiosa voluntate, qua, ad mentem Summi Pontificis et juxta instructionem hujus S. Congregationis, Facultatum erectionem ad exitum perducere satagit, nihil dubitans fore ut propositi ab ipso Summo Pontifice fines, haud longo temporis spatio, curis praesertim Amplitudinis Tuae, feliciter attingantur.

Quaedam interea adicere opportunum censeo super statutis, ab h. S. C. sedulo revisis et adprobatis, et praesertim super in iis praescripta studiorum ratione. Haec profecto non nisi studia respicit, quae ad graduum collationem in unaquaque Facultate strictim pertinent: ac proinde eos tantum clericos tangit, qui ad gradus contendunt: de studiis eorum vero, qui gradus non appetunt, plena libertas Ordinario relinquatur, praelectionum cursus, tempus et rationem prout illi magis placuerit, auctoritate propria moderari et praescribere.

Quapropter, quod ad scholas inferiores attinet id tantum h. S. Congregatio requirit, ut qui Philosophicae Facultati ad gradus assequendos inscribi velint, linguam latinam calleant, et inferiores cursus grammaticae et rethoricae, per quinquennium saltem absolvisse, testimonio certo probent.

Studia vero, quae Amplitudo tua, laudabili profecto proposito et valde commendando, de Sacra Scriptura per triennium absolvenda, instituit, candidatos ad trium Facultatum gradus tangere haud pos-

sunt: quum eadem studia libera prorsus sint, nec specialis diplomatis in his Bibliorum cursibus privilegium a S. Sede concessum fuerit.

Poterit de studiis hujusmodi cum laude confectis testimonium speciale conferre vel ipsa Amplitudo Tua: sed huic S. Congregationi sat fuit praescribere, ut qui ad S. Theologiae doctoratum contendunt sedulam etiam S. Scripturae introductioni et exegesi operam navarent.

Haec erant Amplitudini Tuae meo munere significanda, cui omnia felicia et fausta adprecor a Domino.

Datum Romae die 18 Martii 1897.

Addictissimus in Christo

C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*

SACRA CONGREGATIO STUDIORUM

DECRETUM

In perillustri ac toto orbe a soeculis celeberrima Salmanticensi Universitate, quum jam plurimis abhinc annis, prouti in caeteris Hispaniae publicis Athenaeis, vetitis S. Theologiae et Sacrarum scientiarum cursibus, clericis in spem Ecclesiae succrescentibus copia omnino defecerit studia Ecclesiastica altiori, qua par est ratione, excolendi, Salmantino Seminario etiam privilegium Apostolicum ad tempus concessum fuit, gradus conferendi, donec Seminaria centralia, civili Gubernio promittente, erigerentur. Hujusmodi erectionis per politicas Hispaniae perturbationes spe intercèpta, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ex hujus S. Congregationis Studiorum consulto, Hispanici cleri altioribus studiis et decori providere cupiens, mandavit ut nulla amplius interposita mora penes Seminaria quibus Apostolicum privilegium concessum interim fuit, Facultates more Universitario constituerentur S. Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae. Illustrissimus ac Reverendissimus Antistes Salmantinus, Dominus Thomas Camara y Castro, SS. Pontificis mandatis obsequens, de omnibus providere sedulo non omisit, quae in S. Congregationis instructione praescripta sunt, ad Facultatum erectionem rite peragendam: et confectis statutis, singulisque Doctorum Collegiis constitutis nec non recta studiorum ratione definita, enixe petit ut

adprobatis statutis et Doctorum Collegialium Praefectique Studiorum confirmata electione, Facultatum erectio Apostolicae auctoritatis robore fulciretur, eisque privilegium traderetur gradus academicos in perpetuum conferendi. Nos igitur utendo facultatibus in audientia diei XIII^{ae} mensis Februarii hujus anni MDCCCXCVII a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII Nobis concessis, hisce Nostri Litteris, manu Nostra signatis, Nostroque munitis sigillo, decernimus, et statuimus, ut Facultates Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae in Seminario Salmanticensi, veram ac proprie dictam habeant erectionem, ac privilegio conferendi gradus academicos frui possint, aliisque gaudere privilegiis, quae Institutis Apostolica auctoritate erectis competunt ad nutum S. Sedis, et dummodo amussim et religiose statuta ab h. S. Studiorum Congregatione revisa et adprobata executioni mandentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae die XVIII Martii MDCCCXCVII.

C. CARD. MAZZELLA, *Praef.*

Locus sigilli.

JOSEPH MAGNO, *a Secretis.*